


Programm
der öffentlichen Prüfungen
der Schüler am Gymnasium zu Trier
am Ende des Schuljahres 1825.

Zu diesen Prüfungen, welche am 19. September ihren Anfang nehmen, und an den folgenden Tagen der Woche fortgesetzt werden, so wie zu der Sonntags, den 25ten, das Schuljahr schliessenden Feyerlichkeit der Preisevertheilung, sind hiermit alle Freunde des Schulwesens, die Eltern und gesetzlichen Vertreter unserer Jugend freundlichst eingeladen.

Der erste Theil des Programms enthält eine lateinische Abhandlung des Herrn Oberlehrers L o e r s über die Heroiden Ovids.

Trier, bey Hetzrodt, Sohn.
1825.



Cum olim, quae in bibliotheca publica Trevirensi antiquitatis monumenta servantur, perlustrarem, inter alia egregia ac maximae raritatis Manuscripta incidi in Codicem, in quo continebantur Ovidii Heroides sive Epistolae. Quem ubi ex Wyttenbachio, bibliothecae praefecto, ac gymnasii huius civitatis *directore*, quondam in antiquissimo, quod Treviris olim maxime floruit, monasterio ad S. Mathiam, unde ab ipso bibliothecae publicae esset vindicatus, delituisse cognovissem, atque inde a nemine adhuc collatum putarem, prae ceteris dignum iudicabam, cuius copiae collectae ad communem usum proponerentur. Itaque initio huius anni, vacatione ab aliis, quae me adhuc per tempora subseciva occuparant, negotiis data, eam operam suscepi, totumque Codicem cum ipsis scholiis ac glossis quam maxima potui diligentia excussi. Ac sane Codicis praestantia omnem in eo negotio consumtam operam large compensavit, cum eximiam variarum lectionum ac scholiorum ad eas Epistolas illustrandas, et veterem ac germanam scripturam restituendam copiam praebuerit. Sed accidit, ut inter ipsam collationem, si quid forte, aut ad textum, quem vocant, emendandum, aut ad interpretationem notatu dignum occurreret, diligentissime enotarem. Quae quidem notae, quum familiaritate quadam, quam cum his carminibus inter collationem illam contraxeram, ad ulteriorem in iis operam collocandam essem concitatus, adhibitis Heinsii, Burmanni, Heusingeri, Van Lennepii curis atque annotationibus, etiam Codicis Trevirensis subsidiis, valde creverunt, iusto tempore h. e. si satis elaboratae videbuntur, cum ipsa Codicis Trevirensis varietate scripturae in publicum mittendae. Ex his igitur commentariis, quando grata ea aliquid indicio examinis publici, et scholarum in almo gymnasio Augustae Trevirorum per huius anni cursum habitarum praefandi provincia demandata mihi est, pauca quaedam iuvat depromere. Sed antequam ad hoc propositum accedam, breviter dicendum videtur de ipso Codice.

Codex igitur Trevirensis est membraneus; formam habet, quam nos dicimus *octavo*, sed paulo tamen latiorem, quam libri nostra aetate habere solent, et foliis constat quinquaginta tribus. Tam minutis scriptus est litteris, ut totus versiculus vix supra tertiam paginae latitudinis partem impleat. Hexametra et pentametra non ita distinguuntur, ut hexametra aut tota aut dimidia syllaba in sinistra parte procurrant. Quamvis priorum possessorum negligentia admodum hinc inde sordidatus, et multum, ut videtur, manibus tritus, sic tamen integer servatus est, ut ne unus quidem versus a pristina integritate desideretur; sed desiderantur tamen, quae ab Heinsio in plurimis Codicibus a se collatis desiderari memorantur, primum epistola XV. editionis vulgatae, sc. Sapphus ad Phaonem, tota; deinde in epistola XVI. versus 39. et sequentes usque ad 143., denique epistola XXI. inde a versu 12. usque ad finem. Praeter contextum, quem vocant, ingens inest copia scholiorum inter versus et in margine appositorum, ex quibus multa nil nisi verborum circumlocutiones continent; alia prorsus inepta sunt; alia, quod pro illa aetate, atque hominibus, qui illo tempore in talibus rebus operam suam collocabant, mirari licet, lubrica; sed multa accuratiorem horum carminum cognitionem declarant. Scriptus videtur, quantum quidem ex litterarum forma coniectari potest, saeculo XIII. Quod ad ortographiam attinet, plerumque vetustiorem scribendi rationem exhibet, ut *hiis*, *dampno*, *contempno*, *estimo; ae* diphthongum nusquam agnoscit. Inter ea, quae propria habet etiam illud numeraverim, quod molliores constanter praebet formas, velut: *mistus*, *assum*, *assequor*. Ceterum in praestantissimis haberi meretur Heroidum Codicibus, tum propter scholia, tum et maxime propter bonitatem textus; nam non uno in loco solus nobis Ovidii scripturam servavit; in plurimis difficilioribus cum probatissimis Libris consentit: quanquam multa etiam habet vitiosa; saepe enim aut nomina propria male scripta atque corrupta sunt, aut litterae omissae, aut verba suo loco mota: ut ex optimo apographo a pessimo librario descriptum esse coniicias. Codici nostro alligati sunt, vel potius in eodem fasciculo, quo hic noster, continentur duo alii Codices, nitide scripti, nostro multo vetustiores, quorum alter continet Prisciani Lib. XVII. et XVIII., quem et eundem contulimus; alter est Codex pervetustus Satirarum Persii, de quibus singulis alio tempore accuratius exponemus.

ANNOTATIO IN EPIST. I.

Vers 24. Ad defendendam scripturam *in cinerem*, quae sex Codicum auctoritate nititur, praeter ea, quae attulerunt Burmannus et Van Lennep, facit etiam *cacophonia*, quae est in *cineres sospite*, quam, cuum tam facile vitari posset, aegre mihi persuadeo ab ipso Ovidio esse profectam; adde Sabini Epist. I. 14.

Vers. 28. Tres Codd., Argent., unus Mediceus et Francofurtensis habent *Troia*, reliqui omnes, etiam Trevirensis (qui ubique eam formam constanter et sine omni varietate tuetur) *Troica*. Heinsius cum tribus illis scripsit *Troia*: eodem modo Epist. VII, 184. ubi omnes Codd. exhibent *Troicus ensis*; Epist. XVI, 329. ubi tribus exceptis omnes Codd. *Troica classis*; Epist. XVII, 109. ubi quatuor Codd. habent *Troia coniux*, reliqui omnes *Troica*; ibid. v. 160. ubi sine omni varietate *Troicus hospes*; Eleg. de Ponto II, 10. ubi omnes Codd. *Troica bella*; Art. amat. II, 254. ubi uno excepto omnes *Troice raptor*; in Ibide, ubi omnes Codd. consentiunt in lect. *Troica vela*, in omnibus igitur hisce locis, et fortasse in toto Ovidio, nam totum ad eum finem pervolvere nec volui, nec id duxi operae pretium, Heinsius induxit formam *Troius*, quem secuti sunt Burmannus, et reliqui recentiores Editores. Ego vero existimo, quod idem mecum, cum formam *Troicus* Velleio vindicaret, existimabat Ruhnkenius, in talibus omnino Codd. esse sequendum, et in nostro loco, et in omnibus illis allatis restituendam esse formam *Troicus*; praesertim cum ea forma apud optimos scriptores reperiatur, v. c. apud Cic. de claris orat. c. 10. *Neque enim iam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Ulyssi tribuisset Homerus*; Vellei Paterc I, c. 5. ubi vid. Ruhnk.; apud ipsos adeo tersissimos poetas: Catull. in Epithal. Pel. et Thet. v. 346. *Troicaque obsidens longinquo moenia bello.* Conf. Bentl. ad Hor. carm. III, 3, 32.

Vers. 103. Longum est, omnes coniecturas ab interpretibus, qui hunc l. aut corruptum aut a suo loco motum putarent, de his versibus factas commemorare aut refellere. Equidem nec corruptum locum nec transpositum existimo; neque ulla etiam eius rei in Codd. aut in vetustissimis Edd. facta reperitur mentio. *Hoc faciunt* cum N. Heinsio ac Burmanno referendum puto ad *precor*, et

est *hoc precantur*, ut etiam accepit Schol. Cod. Trevirensis, qui super *faciunt* superscriptum habet *precantur*, *orant*, *cupiunt;* neque enim illud *precor*, si modo recte pronuntietur, ita omni vi destitutum puto, quod putabat Van Lennep. *Facere* denique sic sensum verbi praecedentis repetere, olim ad h. l. monuit Burmann., nuper Van Lennep. Atque haec incorrupta etiam belle mihi videntur cohaerere; sic enim puto coniungenda: *Tres sumus imbelles: sine viribus uxor, Laertes senex, et Telemachus filius* (97. 98.); *filius, qui, proh dolor! nuper mihi per insidias pene est ademptus* (99. 100.), *quem ut diu nobis Dii servare velint, precor* (101. 102.); *quod idem mecum faciunt* (precantur) *fidelissimi famuli: Philetius, custos boum, longaeva nutrix tua, Euryclia, et subulcus, fidelis Eumaeus* (103. 104.); (iam ad vv. 97. 98. unde tenerrimo indulgens affectui digressa erat, redit) (sed) *neque Laertes mediis in hostibus regnum tenere valet* (105. 106.); *nec Telemachus, cuius adhuc mollis est aetas* (107, 108.); *nec mihi sunt vires ad hostes depellendos.* (Quare) *citius, rogo, venias....* (110); *respice, quaeso, filium tuum, qui...* (111. 112.); *respice senem patrem, qui....* (113. 114.); *respice denique me, uxorem tuam, quae. ...* (115.)

Vers. 100. Vide poetam nostrum dormitantem. Nimirum supra ab Homeri auctoritate discedens dixit, Filium ab ipsa Penelope Pylon ad Nestora missum, de qua re vid. doctissima annot. Van Lennepii ad vers. 15. et 37. Hoc loco, cum Homero consentit, sed dissentit a se ipso, *omnibus invitis* Telemachum dicens iter Pylon suscepisse. Certe *missum* supra dixit, de *misso* autem dicere non poterat *omnibus invitis*.

IN EPIST. II.

Vers. 3. *Pleno quater orbe* e Gronoviano et Mediceo Burmannus, cum antea legeretur *pleno semel orbe.* Adscripsit idem in nota, non sibi videri tempus satis longum, ut Athenas ire, ibique res suas componere, et rursus in Thraciam redire potuerit: deinde convenire melius puellae, ut ad ipsum tempus pactum promissa exigat, quam ut tres menses ultra constitutum cesset, antequam scribat. Quod ad prius, mensis spatium satis longum ad illud iter faciendum erat, et festinant amantes, et celeriter itinera sua conficiunt, et poeta est, qui haec dicit,

cui, dumne prorsus citra verisimilitudinem dicat; in talibus minus accurato esse liceat. Quod vero post tres demum menses supra constitutum tempus, antequam scribat, expectet, nec illud est contra morem vere atque ardenter amantis; est enim tacite durantis et patientis, et amatoris promissis omnino confidentis; ac praeterea Heroides apud Ovidium omnino haud ita sunt morae impatientes; testis est Penelope in Epistola praecedente. Sed, quod multo gravius est, si Ovidius statim post pactum spatium praeteritum Phyllida scripsisse, nec multum temporis inter pactum, et quo epistolam hanc scriberet, intercessisse statuisset, quorsum tum omnia haec; *Spes quoque lenta fuit* . . . (v. 9.); *Saepe fui mendax pro te mihi* (v. 11.); *Saepe putavi* . . . *vela referre notos* (v. 11. 12.); *Thesea devovi, quia te dimittere nollet* (v. 13.); *Interdum timui, ne* . . . . (v. 15.); *Saepe Deos supplex pro te rogavi* (v. 17.); *Saepe videns ventos* . . . . (v. 21.); *Denique quidquid* . . . . *At tu lentus abes, nec te iurata reducunt Numina* . . . . (v. 23. et 24.): Adde eodem, quod ait Van Lennep, multo vehementius stringere *Cornua cum lunae pleno semel orbe coissent, Litoribus nostris anchora pacta tua est. Luna quater latuit, pleno quater orbe recrevit: Nec vehit Actaeas Sithonis unda rates;* atque ita multo acerbiorem ironiam esse in hoc: *Non venit ante suum nostra querela diem*: Adde etiam, eam esse lectionem omnium Codd., si duos illos excipias, et veterum Edd.

Vers. 56. Cod. Trev. firmat lect. *hoc*, sc. quod te iuvi portuque locoque.

Vers. 73. Codd. omnes habent *post illos*, Excerpta Puteani sola *post illum*, quae secutus est Heins. et qui post illum has Epistolas ediderunt omnes. Sed mihi lectio *post illos* germana videtur, et ad sententiam locique rationem aptissima. Dicit poeta: *stet pater ante magnificus titulis suis;* tum titulos illos inde a v. 69—73. enumerat, quos cum modo tam copiose exposuisset, ad eos quasi solos vel potissimum respiciens dicit *post illos*, pro *post illum cum his titulis;* id quod eo magis probandum videtur, quia lector illud *stet pater ante* interposita illa rerum a patre gestarum enumeratione quasi e conspectu amisit, quum contra *tituli* ei maxime ob oculos versentur; accedit vis, quae inest in ipsa positione illius *hoc* in versiculi initio. Saltem mutandi necessitas, a qua tamen omnis mutatio proficisci debet, nulla apparet.

Vers 92. Cod. Trev. *meos*; quod rectum, *tuos* et *suos*, ut est in multis Codd. ferri nullo modo possunt.

Verss. 75. 76. Sensus est: Ex innumeris illis patris tui praeclare factis ob oculos tibi versatur, quod imiteris, Cressa (Ariadne in Naxo) relicta. Pro *relicta* quaedam Edd. habent *puella*, eamque lect. quidam interpretes probarunt; sed vera lectio certe est *relicta*, quae praeter maiorem auctoritatem Codicum maiorem quoque habet vim: nimirum agitur de uxore vel sponsa relinquenda; hinc dubium non est, quin notionem *relinquendi* poeta protraxerit, *relicta* etiam aptius respondet verbis *De tanta rerum turba.* Cod. Trev. *relicta.*

Vers. 128. Ciofanus pro vulgata *qua* legendum putabat *quo*, quod Cod. Trev. a prima manu offert; et ipse Ovidius in simili fere ratione usus est *quo:* Trist. III, 11, 5. *Quis gradus ulterior, quo se tua porrigat ira;* sed quominus mutare liceat, praeter Codd. auctoritatem obstant exempla, quale illud Ausonii in Mosell. 142. 143. *Diffunditur alveo Aestus, et extremi procurrunt margine fluctus.*

Vers. 111. Burmannus lect. *latissima* contra Puteanei *laetissima* ita defendendam putabat, ut doceret, Thraciam nunquam laetam fuisse neque coelo, neque solo; contra quam defensionem facile obiici potest, *laetissima* non intelligendum esse de laeto Thraciae solo aut coelo, sed potius de prospero ac florenti regni statu, qua significatione *laetus* saepius occurrit. Sed l. *latissima* istius modi defensione non indiget, quum et in Codd. et in versu sequenti *Nomine femineo vix satis apta regi* satis firmitatis habere videatur. Scilicet non quia *laetissima* sed quia *latissima* regna Lycurgi sunt, vix apta Phyllis ea censet, quae a femina regantur. Firmatur etiam vv. 113. 114., quibus quasi epexegesis vocis *latissima* continetur.

IN EPIST. III.

Vers. 21. Summo cum plausu recepit Heins. et post eum Burm., licet omnibus reliquis Codd. obstantibus, lect. unius Puteanei *data sim*, quod est recte Heinsio interpretante *Demus*, *me datam esse.* Mihi vero *l. data sum* videtur retineri posse, ideoque propter Codd. consensum retineri debere. *Data sum, quia*

danda fui ex Achillis quasi sententia Briseis dicit ac sibi ipsa ironice et summa eum acerbitate obiicit, ad quae cum vi respondet: *Tot noctibus absum etc.*

Vers. 34. Cod. Trev. unus ex omnibus veram nobis servavit Ovidii scripsuram *bis sex*, cuius loco reliqui habent *bis septem*, quam tamen interpretes iam ex Hom. Il. IX. 265. coniectura assecuti Ovidio restituerant.

Vers. 40. Sensus est: *Tu accipere negas, quae dare debueras, si pretio tibi ab Atrida redimenda fuissem.* Pro *negas* Heins. ex uno cod. Scriveriano recepit *neges;* in qua re eum secuti sunt reliqui interpretes. Sed mihi h. loci naturae aptius videtur *negas;* ut Briseis, cum Achillem reprehendat, quasi persuasum habeat, eum *negasse* aut *negare*, obiurgans interroget; accedit omnium Codd. auctoritas, et, quod tenendum etiam est, vere quoque negaverat ea dona accipere, id quod probat, quem in toto hoc loco fingendo Ovidius secutus est Hom. Il. IX, 378. seqq.; aptius etiam versui sequenti sc.: *Tu negas? Qua merui culpa fieri tibi vilis, Achille?* Omnino saepe nimius est Heins. in coniunct. poetae nostro obtrudendo.

Vers. 100. Heinsius ex uno Cod. Episcopi Lincolnensis scripsit: *Saepius in dominum serva vocata torum*, quod dubito an recte. Nam primum valde frigere mihi videtur *dominum torum*, quia a toro omnis motus et facultas abest ad imperium aut dominationem exercendam, quod secus est in exemplis ab ipso allatis, saltem in iis, quae ex Ovidio protulit, v. c. *dominos deos*, *dominos manus;* deinde, quia summa vis inest in positione *domini serva*, de qua quam multum perit, si dominum adiectivi loco accipitur; accedit omnium reliquorum et Codicum et librorum typis impressorum auctoritas.

IN EPIST. IV.

Vers. 33. Nunquam unius Puteanei Cod. tantum apud me valebit auctoritas, ut cum Heinsio ex eo scribendum censeam *igni* pro vulgata eademque omnium reliquorum Codd. *igne;* praesertim cum ea scriptura in dubitationem nos inducere possit, utrum eam (*igni*) pro dativo accipiamus, an pro ablativo.

Vers. 34. Si quidquam, certe h. l. omnium fere Codd. et vett. Edd. lectionem *obest*, non vero, quam ex uno Scriveriano Heinsius recepit *abest*, Ovidii scripturam esse, pro certo affirmo: nam dum in Heinsiana scriptura ambiguus haereas, utrum intelligas *turpis adulter, peius* (h. e. qui res est peior) *adulterio, abest*, quod durissimum est; an *turpis adulter peius* (h. e. maiore detrimento) *abest, quam ipsum adulterium*, quod absurdum est, et sententiam egregie pervertit, lectio Codd. *obest* hunc simplicissimum ac planissimum praebet sensum: *At bene successit, quod digno* (non turpi) *adurimur igne*; (nam) *turpis adulter peius* (h. e. *magis* solemni usu) *obest, quam ipsum adulterium.*

Verss. 79. et 80. Ante Burmann. non satis intellecti illustrantur Art. amat. III, 383. 384. *Sunt illis celeresque pilae, iaculumque, trochique, Armaque, et in gyros ire coactus equus.*

Vers. 85. *Materia*, cuius explicatio interpretes tam vehementer exercuit, dictum videtur cum respectu ad *duritiem* versus praecedentis, et significare, *per duram naturam tuam:* in nexu autem orationis, in quo haerebat Burmann., ne minimam quidem ego video difficultatem, sensus est: *Modo ne sis durus, non enim digna sum, quae tua duritie, materia, dura natura tua peream;* vel aliis verbis, *digna sum, cui meliorem te praebeas; quam mutuo amore prosequaris.*

Vers. 94. Burm. veram censet scripturam *deciderant*, quam coniecit ex unius Heinsiani Cod. lectione *ceciderant*, cum plurimi Codices, et libri impressi habeant *conciderant*; sed ea Burmanni lectio vix idoneis probari potest exemplis; nam quae ipse excitavit, aut huic loco non similia, aut saltem serioris sunt aetatis; contra vox *concidere* de cadendo per ictum et apud prosae orationis scriptores et apud poetas usitatissima est, ut etiam, *corruere, collabi*; infra Ep. VII, 196. *Ipsa sua Dido concidit icta manu*, et passim. In versu 95. *Nec tamen Aurorae male se praebebat amandum*, illud *male* accipiendum est, ut Horatianum illud Od. I, 9. *digito male pertinaci.*

Vers. 127. Plurimi Codd. etiam Trev. et vett. Editt. habent *I nunc et meriti etc.;* in quibusdam Codd. est *immeriti;* in aliis *emeriti;* Excerpta Jureti et Francofurtensia, et Cod. Helmstad. habent *sic meriti;* Putean. *ii meriti.* Heinsius,

ut est saepe cupidior formulas dicendi ac voculas, quas in deliciis habet, intrudendi, scripsit *I nunc, i meriti.* Burm. licet Heinsii novandi studium hoc l. carpat, ipse tamen maluit excerpta Iureti, et Helmst. et Francof. sequi, quam plurimorum Codd. et Editt. auctoritatem, et recepit: *I nunc, sic meriti*, in qua re eum secuti sunt Conr. Heusinger, et doctissimus nuperus editor Van Lennep. Mihi vero nihil olim vulgata videtur sanius; sc. postquam Phaedra a Theseo patrata exposuit, cum exprobratione monet *I nunc et meriti lectum reverere parentis; Gehe nun, und habe* (noch) *Ehrfurcht vor dem Bette des würdigen Vaters*, in quo illud *meriti* cum acerbitate atque ironia dictum intellige. Atque ea scriptura, quod ad versum pertinet, etiam mollior ac suavior est, saltem quam Burmanni *nunc sic;* neque abhorret ab usu loquendi Ovidii aliorumque poetarum: Ovid. Epist. XVII, 57. *I nunc et Phrygiae late primordia gentis Cumque suo Priamum Laomedonte refer.* Art. amat. II, 222. *I nunc et dubita ferre quod ille:* in quibus locis prorsus eadem est sententiae ratio. Auson. Mosell. 48. ex certissima emendatione Tross. *I nunc et Phrygiae sola levia consere crustis.* Propert. II, 22, 22. *I nunc et noctes disce manere domi.*

Vers. 134. *Fratre marita soror* intellige, *soror, quae per fratrem h. e. fratre coniuge, marita est.*

Verss. 163—166. non Ovidianae venae Burmannus putabat; aptius censebat orationem cohaerere, si illis quatuor verss. omissis connecteretur: *Et, mihi si non vis parcere, parce meis. Per Venerem parcas etc.* Mihi quidem illi versus nihil videntur habere suspecti; est enim oratio vehementissime commoti animi, omnia ad flectendum amatoris animum moventis, hinc nunc per avos obsecrat (v. 162.); nunc promittit (v. 163. 164.); nunc quasi obiurgat (v. 165. 166.); nunc iterum ad mollissimas preces redit; et, si votis suis obsecundare velit, faustissima quaeque precatur (v. 167—174).

IN EPIST. V.

Vers. 8. *Indignae*, quod ex uno Caroli Strozzae libro Heinsius, minime probaverim, licet probante etiam Van Lennep.; nam universe hoc loco dictum est; itaque aut legendum censeo cum Puteaneo et Jureti excerptis *indigno*; mas-

culinum enim singularis numeri adhibetur, ubi universe aliquis intelligitur, sive vir sive femina, licet femina nunc innuatur, ut recte animadvertit Erfurdt. ad Sophoc. Antigon. v. 451, probante Hermanno ibid. v. 561; aut quod est in plurimis Libris *indigne*. Cod. Trev. *indigni*.

Vers. 31. Heinsius, ut ne Xanthus solus recurreret, Nymphas ei addere volebat, et ex VIII. Codd. scribere *Nymphae* pro *lymphae*; sed in versibus praecedentibus *cum Paris Oenone poterit spirare relicta*, *Ad fontem Xanthi versa recurret aqua*, de solo Xantho est facta mentio; *Nymphis* igitur hoc l. nihil est negotii: contra recte additur *lymphae*, ut saepe a poetis pars toti, continenti contentum, subiungitur. Quanquam verba illa *versae* et *recurrite* personis (Nymphis) sunt aptissima. Cod. Trev. *lymphae*.

Vers. 33. Plurimi Codd., etiam Trev., et Libri impressi habent *duxit*, sex Codd. Heinsii *dixit*, quod Heins. et reliqui editores receperunt; ut *dixit* sit pro *praedixit*. Et recte ita dici idoneis exemplis ad h. locum Heinsius ostendit. Sed meo quidem sensui displicet metaphora illa *dixit dies*, cui si addo, quod plurima pars Codicum habet *duxit*, et quod sequentia *ab illa Pessima etc.* indicare videantur ab illa die non tam praedictum, quam adductum fatum esse, omnino restituendum censeo *duxit*. *Ducere* autem pro *adducere* saepe reperitur: Tibull. I, 2, 77, 78. *Nam neque tum plumae, nec stragula picta soporem, Nec sonitus placidae d u c e r e possit aquae.* Hor. Od. II, 17, 9. *Ducere ruinam. Id. Epod.* 14, 3. *ducentia somnos.*

Vers. 56. *Nuda* ut Epist. XVII, 116. 117. *in altae vallibus Idae Tres tibi se nudas exhibuere Deae.*

Vers. 50. *Secundus* scilicet mihi amanti, quia te retinebat, nec illo flante abire poteras, vid. Epist. XIII, 3. Flacc. II, 406. Proper. I, 6, 17. ita Burmannus locum interpretabatur. Ventus *secundus amanti* igitur erat adversus. Sin autem vere adversi venti erant, certe comitibus non iusta erat causa ridendi. Intelligendum est igitur *secundus ad navigationem tibi*, qui te tamen amore mei retineri patiebaris, et sensus est: *Ah quoties comites, cum ventis te quererer is teneri, riserunt, quia venti omnino ad proficiscendum secundi erant.*

IN EPIST. VI.

Vers. 63. Olim legebatur *cadentibus*, pro qua l. Burmann. ex uno Gottorphiano recepit *fluentibus*, quam Cod. Trev. egregie tuetur. Ac certe *cadentibus* in *ora* vix defendi potest, nisi forte ad eam explicandi viam confugere velis, ut improprie accipiendum v: *cadere* intelligas, contra *fluentibus* naturae rei accommodatissimum est. *Fluentibus* etiam melius quadrat ad vers. sequentem *Cetera te memini etc.*, ut vox quasi flumine lacrimarum obstruatur.

Vers. 85. Heins. e tribus Codd. recepit l. *curru*, quum in omnibus aliis Codd. sit *cursu*, quam scripturam ita defendit, ut Lunae probet nonnunquam a poetis *currum* tribui solere; sed ea defensio non satis firma videtur; nihil enim obstat, quominus etiam *cursu deducere Lunam* dicere poeta potuerit. Ego vero lect. *curru* servari velim propter concinnitatem, quae inde huic versui cum statim sequenti conciliatur: Lunam *curru* deducit et *solis equos* abdit tenebris: *curru* etiam magis poetice.

Vers. 100. In plurimis Codd. et veterrimis Edd., etiam in optima Veneta a. 1486. est *se facit;* in nonnullis Codd. et Edd. *se favet*, quod Heins. recepit, et posteriores editores omnes retinuerunt. Sed mihi restituendum videtur *se facit* tum propter Codd. et Edd. auctoritatem, tum etiam propter vim atque significationem: etenim *adscribi se favet* magis est *gaudio ipsi est se adscribi;* sed crimen ei obiicitur, ideoque studiose aliquid *agere* mali debet; *se facit adscribi* significat, ipsam crimen patrare, ut rerum a marito et proceribus gestarum partem sibi arroget; neque praeterea usus ille loquendi satis firmatus est exemplis vett. scriptorum; contra *facit* cum infinit. frequentissimum est, vid. Bentl. ad Terent. Phorm. Prol. v. 6. Forcellini Lex. i. v. *facere*, et meam annot. in Platonis Menex. p. 10.

Vers. 139. In Codd. et vett. Edd. est *Lacerata.* Heins. Burm. et reliqui interpretes scripserunt *laniata*, quam scripturam nescio unde hauserint, cum nusquam ulla de varietate aliqua facta est mentio. Omnino cum Codd. restituendum videtur *lacerata*, quod est: *in frusta distracta* propter *v. spargere:* saltem causa mutandi nulla apparet. Sic in Ibid.: *Aut lacer in silvis manibus spar-*

gare tuorum, *Sparsus ut est Thebis angue creatus avo*. V. 140. Cod. Trev. habet a Van Lennep. egregie restitutam l. *quaelibet iratis ipse dat arma dolor.*

Verss. 151. 152. Hos vv. interpungo et intelligo: *Quodsi quid ab alto*, (solemni breviloquentia pro: Quodsi quid ab alto iustus adesse soles; *quid* pro *qua in re.*) *Iustus ades votis*, *Iuppiter*, *ipse* (cum vi) *meis*. Nihil est, quod Burm. ad Virg. Aen. VII, 10. coniecit: *Iustus ades votis*, *Iuppiter ille*, *meis*; nec coniectura erat opus.

Vers. 154. Si considero, Codd., duobus exceptis, omnes, item vett. Edd. habere *sentiat*; et Ovidium eiusmodi epexegeses praecipue in deliciis habere, nescio an scribendum censeam *sentiat*: praesertim cum non adsit abl. *quo* sanciat; et certe melius etiam ad sensum. Cod. Trev. *sentiat*.

IN EPIST. VII.

Vers. 5. Lectio vulgata olim fuit *meriti famam.* Codd. Gottorph. et alter Mentel. *meritam*; unus Mediceus *merita*; Puteaneus *merite*; novam Heinsius invenit *merita et famam*: quem secuti sunt reliqui editores. Ac sane Heinsii scriptura et plenior et concinnior est vulgata, maiorem facit Didonis iacturam et hinc aptior est ad movendum. Sed in his omnibus non iusta inest causa mutandi; quis enim confirmare audebit, poetam ubique tam plene, tam concinne et ad movendum apte locutum, ut a nemine in ullo loco quidquam felicius inveniri possit. Reiicimur igitur ad *meritam* aut *meriti* (nam vitiosum *merita* haud dubie ortum traxit e *meritam*, et *merite* Puteanei glossa videtur lectionis *meriti*); quae cum utraque ad sensum satis apta videantur, l. *meriti* (h. e. e meritis ortam) *famam* propter Codd. et Edd. consensum praeferendam puto; eandem tuetur etiam Cod. Trev. Vers. 45. Cod. Trev. *merearis*.

Vers. 97. Corruptus est locus. Codd. et Edd. aut *Sichaeu*, aut *Sicheu*. Heins. ad h. l. in quibusdam Codd. legi dicit *Thais Menandru* pro *Menandru* Graecis literis; sed ex eo tamen exemplo *Sichaeu* defendi non posse putat, quia hic *Sichaeu* sit casus tertius. Sed nihil melius inde defenditur genitivus; nam *Thais Menandru* inscriptio Graecae fabulae est, quam scriptores Latini aut Latinis, aut, quod verisimilius est, Graecis literis retinuerunt; igitur parum habere mo-

menti videtur, ad eam formam in Latinis scriptis defendendam: quod Heins. ex Stat. Theb. III, 546. et 573. excitavit *Melampu* huc non pertinet: *Ceu Simonidei*, pro *Cei*, quod affert ex Auson. Prof. XIV. nec satis certum, nec magnae auctoritatis est. omnino forma *Sichaeu* vitiosa videtur (vid. Leop. Schneider Gramm. Lat. Part. II, vol. I. p. 79.) Burmann. recepit *Sichaeo*, de qua Van Lennep: „valde mihi *violate Sichaeo* suspecta sunt. Putares violatum a Sichaeo pudorem, cum contra mens Didónis esse debeat, violatum a se pudorem, quem Sichaeo servaturam se promiserat.“ Ipse malebat Cod. Regium sequi, qui l. hunc ita exhibet: *Exige, laese pudor, poenas violataque — Iura, nec ad cineres fama retenta meos: Vosque, mei manes, animaeque, cinisque Sichaei, Ad quas, me miseram, plena pudoris eo*, ita tamen, ut post *violataque* suppleas, ut sit Epist. IX, 159. *l e c t i* (quod opportune offert Cod. Trev., qui habet in margine: *Exige laese pudor poenas, violataque l e c t i Iura, nec ad cineres fama retenta meos.* Sed Schol. eos vv. interpositos dicit), et pro *quas* cum Edd. plerisque recipias *quem*. Equidem quamvis Burmanno non assentior, tamen non urgendam puto constructionem *violate Sichaeo*, quum dat., quem vocant commodi, sic cum passivo coniuncti exempla non raro occurrant. Scriptura Cod. Regii, quae Van Lennep. non displicebat, certe interpolatio est. Pro Graeco genit. *Sichaeu*, quam levissima mutatione ego scribendum censeo Latinum *Sichaei*; in constructione autem non haerendum. Dicitur *pudor patris* (vid. Ruhnk. Dictata in Terent. Andr. I, 5, 26. Ed. Schopen, Forcell. Lex. in v. *pudor*); dicitur igitur etiam *pudor Sichaei*; igitur etiam *pudor Sichaei*, *laese, violate.* Eodem modo hunc l. a vetustissima manu correctum reperi in meo exemplo Ed. Venetae a. 1486.

Vers. 122. Burmann. cum in Puteaneo reperisset *virque rudis*, et in Leidensi *ad arma*, ex his duobus h. l. corruptis Codd. legere malebat *Vixque rudis portas urbis ad arma paro* ut sensus esset: *ego femina, rudis ad arma, vix paro portas urbis*, vel etiam, *vix paro portas urbis, rudis ad arma*, quae quidem lectio, praeter quod nova est, non parum frigere videtur: contra quid simplicius ac sanius esse potest, quam sententia: *bellis ego femina tentor, et vix* (nam urgebat hostis, ut arte fabrili poliendi non superesset tempus) *rudes portas urbis, et arma parare possum*: atque ea, si duos illos excipias, omnium et Codd. et Edd. nititur auctoritate.

Vers, 136. Ab Editoribus contra Codd. et vett. Editiones scriptum est *nato*, quod dubito, an non recte; certe ambiguitas, dummodo recte pronuntietur, nulla inest; nec duplex genit. habet, quod offendat: ipse Cic. pro Mur. *auctor beneficii populi Rom.*

Vers. 144. In omnibus Edd. ante et post *quanta fuere* interpungitur, ut sensus sit: *si vivus Hector esset et tanta forent Pergama, quanta fuere*. Sed quando? Dele utramque interpunctionem et pro claudicante rectum et germanum sensum habes: *si forent, tanta quanta sub Hectore i. e. cum Hector in vivis esset fuerunt*.

Vers. 145. Heins. et post eum omnes recentiores Editores ex uno Puteaneo acceperunt *Tibridas*. Ego revocandam censeo omnium reliquorum Codd. et veterum Edd. scripturam *Tibridis*, quae non parum etiam concinnitatis sententiae conciliat, sc. *non petis patrium S i m o e n t a sed T i b r i d i s undas*. Cod. Trev. *Tibridis*.

Vers. 160. *Damni tui* est lect. Codd. et vett. Edd.; etiam auribus gratius. V. 184. de *Troicus* vid. Virg. Aen. IV, 507.

IN EPIST. VIII.

Vers. 5. Cod. Mentelianus teste Heinsio pro diversa lectione *Quam potui* cum glossa, id est *quantum*. Cod. Gottorph. *qua*, alius *quo*: sed *quod* rectum est; neque tamen cum Burmanno ita accipiendum, ut significet *quantum*. Sensus est: *quod unum potui*, sc. *renuere*, *non consentire*, *feci*; idque poeta sic enuntiat: *quod potui*, *renui*, cui aptissime respondet: *C e t e r a femineae non valuere manus*. Eadem sententia recurrit Epist. XVII, 24. *Cum sim rapta, quid meum, nisi nolle, fuit?*

Vers. 52. Ad h. vers. Schol. Cod. Trev. *causa, quare matrem interfecisti non est lecta i. e. electa tuo operi, sed data a matre, q. d. non interfecisti sine causa, ille enim eligit sibi mortem alicuius, qui eum interficit sine causa.*

Vers. 59. Omnino cum Codd. restituendum videtur *quisquamne*, et verb. *obiectet* absolute positum intelligendum. Sensus est: *quisq. culpet Orestem!*

Vers. 75. *Errat* iam Heinsio suspectum Van Lennep eiecit, recepitque ab Heins. propositum *durat.* Ego *errat* rectum censeo, quod est: a determinato cursu et ulterius, quam par est delabitur; pergit, quo pergere non debet, et seros nepotes malis persequitur.

Vers. 73. In Edit. Heins. legitur *aequor ab;* sed nescio, an cum omnibus Codd. et veteribus Edd. legere malim *aequora ab*, quam cum Heinsio *aequor ab;* nam quod auribus ingrati in illo *a ab* inesse videatur, veterum aures, ut quibus eiusmodi elisiones non insolitae erant, minus offendit; ad sensum etiam aptius videtur *aequora.* Eodem modo et loci ratio et maior Codd. numerus postulant Metam. X, 190. *papavera* pro *papaver*, quod ex octo Codd. recepit Heinsius.

Vers. 100. Revoco, *quae tua nata foret;* nam quae ab Heinsio primo recepta est lectio, *quae tibi nata foret*, tribus tantum Codd. nititur, et nescio quid graecatur. *Nata* substantivi loco et inde cum genit. saepe obvium, v. c. Epist. XII, 54. *et magni nata Creontis.*

IN EPIST. IX.

Verss. 1. et 2. Hi versus mihi etiam nunc, postquam novum nacti sunt defensorem, suspecti videntur: nam quod Van Lennep primum attulit, Epistolam illis remotis prorsus capite truncatam relinqui, cave ne magni momenti ducas; quid enim tum facias Epistolis XI. et XII., quas multo maiore iure capite truncatas dixeris. Atque, ut dicam, quod sentio, nihil ego truncati video, neque si hos versus nunquam vidissem, Epistolae aliquid deesse putassem; nec hodie, postquam eos vidi, quidquam desidero; quin nihil mihi aptius videtur, quam ut Hermione, tantis malis pressa, ab ipso eorum malorum auctore scribere incipiat: *Pyrrhus Achillides etc.* Summa argumenti, quam his versibus Van Lennepi contineri confirmat, clarius etiam atque ad intelligendum facilius continetur in vv. 3—10. Quod denique alioquin ad versum usque 59. frustra quaeri nomen scribentis dicit, nihili est; nam primum etiamsi ad versum 59. usque expresso quidem verbo nomen dictum non est; tamen satis apparet ex vv. 19. et 20.; nec illud contra morem Ovidii est, ut nomen scribentis post aliquot demum versus

indicet, vid. Epist. IX. et in primis Epist. X. ubi nomen scribentis in toto carmine frustra quaesieris. Adde auctoritatem Codd. et veterum Edd.; quae eos versus non agnoscunt.

Vers. 103. Unus Puteaneus aegre me, ut Heinsium, adducet, ut scribam *habet raptam. Habet captam*, est i. q. *detinet captam*, igitur prope idem, quod v. 4. *Inclusam contra iusque piumque tenet.* V. 104. Cod. Trev. firmat l. *Munus et hoc nobis.*

Vers. 120. Nescio an recte ossa dicantur *se ulta;* non enim illa se vindicarunt, sed Orestes patris caedem caede matris ultus curavit, ut patris ossa bene sub tumulo iacerent, inferiis ab adultero Aegystho exactis, quare verior mihi videtur Cod. Lovaniensis lectio: *Quod sic sub titulo fortiter ulta iacent.* Licet malim *sub tumulo*, quamvis *sub titulo* defendi posset. Ita Burmannus. Cui licet in universum minime assentior; neque enim licentiae poeticae, quam dicunt, fines puto excedi, si de patris caede a filio vindicata ipsa patris occisi ossa *se ulta* esse, vindictam sumsisse dicatur; neque urgenda talia, praesertim apud poetas, et ad vivum resecanda videntur: tamen naturam h. loci si acrius inspicio, lect. *se ulta* vix ferenda videtur; cum omnino ab ipso Oreste, ab ipsis Orestis manibus vindicatum patrem significare Hermione velit, sensus enim est: *Per patris ossa oro, in cuius caede vindicanda tam fortem te praestitisti, quem eo ipso carissimum tibi esse ostendisti.* Offendit etiam, *quae tibi debent*, *quod se fortiter ulta iacent.* Hinc et ego ex Cod. Lovaniensi scribendum censeo: *Quod sic sub tumulo.* Cod. Trev. *quae tibi debent Se, quod sub tumulo fortiter ulta iacent* apud Ovidium vix toleranda caesura.

IN EPIST. X.

Vers. 18. Burmann. pro omnium prope Codd. et Edd. lectione *fulsit* scripsit *fulcit;* sed mutandi causa nulla facile apparet, nam de perfecti forma *fulsi* dubitare non licet. *Fulcit* autem in praeterito, quod Burm. probat, cadentis latinitatis est.

Vers. 29. Heins., Burm., alii ex uno Puteaneo scripserunt *veniant.* Ego cum omnibus reliquis Codd. et vett. Edd. revoco *veniunt*, ut de re, quae nullo modo

in dubium vocari possit et in vulgus nota sit ac fieri soleat. V. 55. non male Cod. Trev. *Qui toties terris errat Maeander in isdem.*

Vers. 77. De *crassa* Burmannus: *Crassa recte dicit, ut Solocem intelligat, quae ut imperito lanam deducendi dabatur, ut contra mollis peritissimis ancillis dabatur.* Ridiculum, quasi parcae ac tenacis aniculae ad exemplum Jole Herculi, quippe imperito adhuc lanam ducendi viliorem lanam, *Solocem*, dederit. Non quia *Solocem* Herc. ducebat, *crassa* eius fila poeta fingit, sed propter robustos eius pollices ad clavam vibrandam ac regendam, quam ad lanificium aptiores.

Verss. 85—100. Nescio, unde octo illa signa interrogationis ortum traxerint, quae neque in Codd. neque in vetustis Edd. reperiuntur. Versus 85—100. expositionem continent vers. 83. et 84., qui cum sine signo interrogandi scripti sunt, et illi omnino sine tali nota scribendi videntur. Non parum praeterea offendit illa in infinitum repetita interrogatio, ac maiore etiam cum fiducia, quae h. l. Deianiram maxime decet, dictum est; denique vide, quanta vi atque affectus veritate post sedatam illam enarrationem inde a. v. 85—100. tandem v. 101. et 102. interroget: *Haec tu Sidonio potes insignitus amictu Dicere? non cultu lingua retenta silet?* — Vers. 94. omnes Codd. Puteaneo excepto habent *Cerberus;* Heinsius *Cerberos. Cerberus* rectum est; eodem modo Metam. IV, 450. *tria Cerberus extulit ora.* Quod vero in exemplo e Metam. VII, 414. ab Heinsio allato Ovidius scripsit *Cerberon*, certe non sina causa fecit metrica.

Vers. 85. Ferri potest *alit*, igitur propter Codd. et vett. Edd. est restituendum. Heins. e duobus tantum Codd. *alat*, vid. supra ad Epist. III, p. 9.

Vers. 95. Schol. Cod. Trev. *Coelum restabat* (superscripto *ad videndum*), *timeo simulacra* (superscripto *signa*, *phantasmata*) *Deorum*.

Vers. 102. Sensus est: *quum cultum muliebrem habes, non te pudet fortia facta tua narrare?*

Vers. 110. In omnibus recentioribus Edd. et depravata scriptura et interpunctione legitur *Illic, qui silices, Thesea, vincat, habes*, quod nullum prae-

beat sensum. Corrigo e Cod. Trev. *habet* et interpungo *Illic qui silices, Thesea vincat, habet;* unde hic expeditissimus exoritur sensus: *Ille solus, qui et idem silices illic*, sc. in pectore, *habet, Thesea vincere potest.*

Vers. 111. Nescio, an cum Codd. Gronovii, Moreti, et excerptis Gallicanis legendum sit *qui me tenuistis*, quod idem placebat Naugerio: unde, vide, quanta sententiae conciliaretur concinnitas: sc. *Crudeles estis somni, qui me...; Vos quoque crudeles* (estis), *venti....; Dextera* (est) *crudelis, quae me....* V. 113. in omnibus Edd. pessima est interpunctio: *Vos quoque, crudeles venti, nimiumque parati;* corrigo: *Vos quoque crudeles, venti, nimiumque parati.*

Vers. 115. Cod. Trev. pro varia lectione offert, quod Heins. coniiciebat, *dextraque.* Sed nihil mutandum propter Codd. et propter vim, quam asyndeton hoc l. habet.

Vers. 120. Burm. e duobus Codd. et tribus Edd. recepit, vel potius ab Heins. receptam retinuit *digitus* pro vulg. *digitis;* sed causam nullam attulit, nisi quod exemplum e Trist. IV, 3. excitavit, ita dici posse, de quo nemo, certe apud poetas, dubitabat. Ego causam habeo, cur *digitus* praeferendam putem, quae est in v. 119. et 122. sc. Nec *lacrimas* matris videbo....? Nec *digitus* erit..? Nec amica *manus* unguet...?

Vers. 137. Van Lennep vel legendum putat, ut multi habent Libri et scripti et impressi *demissos lugentis more*, vel certe pro *in ore* scribendum esse *in ora.* Prius, quod est: *Aspice capillos, qui more lugentis demissi sunt*, vix aptum praebet sensum, nisi forte *more lugentis* accipias pro *more capillorum lugentis*, quo nihil dici poterat audacius. Non parum etiam frigere videtur sententia: *Aspice capillos more lugentis capillorum demissos*, certe multo rectius ac gravius dicitur: *Aspice in ore meo lugentis sparsos capillos.* Neque tamen opus putem alteram a Van Lennep. propositam emendationem *in ora*: construo enim: *Aspice* (ubi?) *in ore meo lugentis* (quid?) *capillos demissos*, i. e. *inornatos, sparsos.*

IN EPIST. XI.

Vers. 28. Errat Burm., qui *coacta ora* censet esse *contracta, minora* per ma-

ciem et aegritudinem *facta;* quemadmodum dicatur *virus coactum*, *tempestas coacta*, al. *Coacta* h. l. nihil aliud est, quam *compulsa*, vel ut Crispinus exposuit, *invita*, quo usus est Ovid. Epist. XVI, 226. *Crescit et invito lentus in ore cibus.* Vide etiam, quanto aptius dictum sit: sumebant ora minimos cibos et eos ipsos non sine fastidio, invita, compulsa; quam: sumebant ora contracta minimos cibos.

Vers. 76. Valde mihi displicet adject. *tepido*, cuius in locum sensus propter verb. *quatitur* flagitare adiect. videtur, quod vehementiam venti significet, qualia *Noto* saepe tribuuntur (vid. Forcellini Lex. in v. *Notus.*). Hinc nescio, an cum Cod. Gronoviano legam *rapido*, ut Fast. III, 588. *Percutitur rapido puppis adunca noto;* aut cum pluribus Codd., quod propius ad vulgatum accedit, *trepido*, de quo vid. Forcell. in h. verbo. V. 87. Cod. Trev. *credis.*

Vers. 77. Heinsius scribendum putabat *pallentis*, sed praeter quod Codd. et Edd. ad unam omnes eam lectionem defendunt, et quod sanum habet sensum, prohibet etiam, quae inde exoriretur difficultas metrica *vibrari pallentis;* etiam magis poeticum videtur.

Vers. 99. Dubitat Burm., an Latine dicatur *Connubia donare muneribus;* sed dicitur *donare* aliquem aliqua re, quidni igitur *mea connubia* i. e. *me nuptam* (abstractum pro concreto quod dicunt) *his muneribus donare.* Si vero dubites de *donare nuptam*, *connubia* pro *dotare; donare* h. l. dictum est cum respectu ad *dona* v. 98., neque talia apud poetas enucleanda videntur.

Vers. 119. Suspecta mihi videtur Heinsii scriptura *infantes umbras;* quippe nullis Libris firmata; Libri enim omnes habent *infantis.*

IN EPIST. XII.

Vers. 39. Unius Cod. Puteanei varietas *dicitur* pro *dixerat* me nunquam commovebit, ut cum recentioribus Edd. scribam *Dicitur interea tibi lex* contra omnes Codd. et veteres Edd. Ovidius certe scripsit *Dixerat interea tibi rex*, id quod probat omnium Librorum in ea scriptura consensus, et firmat v. 51. ubi illud *Dixerat rex* repetitur. Scil. v. 39. Medea incipit leges enarrare Jasoni a patre

suo datas verbis: *Dixerat interea tibi rex;* quas quidem leges postquam exposuit v. 51. iisdem verbis finit, quibus coepit; *Dixerat Aeëtes* solemni poetarum more.

Vers. 52. Burmanno non placet, quod mensa dicatur *alta*, cum non multum supra toros mensae eminere solerent. Mensa *alta* hoc l. est multis epulis *onerata*, *exstructa*, ut Metam XI, 119. *Gaudenti mensas posuere ministri exstructas dapibus.* Cic. Tuscul. V, 21. *mensae conquisitissimis epulis exstruebantur;* cui explicationi egregie respondet *purpureos toros.*

Vers. 53. Postquam Medea exposuit, quomodo in regnum Aeëtae Jason venerit, ipsam ceperit, et quae ei datae sint leges, inter narrandum exclamat *Quam tibi* *t u n c* *longe etc.!* Heinsius et recentiores editores omnes cum aliquot Libris scripserunt *Quam tibi nunc:* mihi omnino legendum videtur *tunc;* nam, praeter quod longe plurima pars Librorum eam lectionem tuetur, eadem exclamatio, quae hic in media narratione est, in fine narrationis redit cum particula *tunc*, v. 103. et 104. *Dotis opes ubi tunc? ubi tunc tibi regia coniux? Quique maris gemini distinet Isthmos aquas?* nisi forte et ibi, ubi nihil variant Codd., mutare velis. Cod. Trev. *tunc.* Schol. *quia tunc non valebat.*

Vers. 65. Cod. Trev. *habebat*, quod recte revocavit Van Lennep, quanquam in huius lectionis defensione, quod maxime debebat, ad vers. 66. non respexit.

Vers. 79. In tribus Codd. est *triplicis*, quod cum Heins. concinnius putaret, in textum recepit. Ego contra l. *triplices*, ut maiorem habet Codd. auctoritatem, ita etiam concinniorem existimo, ut utrumque, et *vultus* et *sacra*, suum epitheton habeat. Burmann. coniiciebat *triplicis cultus*, sed in tam perspicua ac sana sententia coniectura non erat opus. Virg. Aen. IV, 511.... *Tria virginis ora Dianae.* V. 110. Cod. Trev. exhibet, quod interpretes iam ante coniectura assecuti erant, *quolibet.*

Vers. 142. Nescio quid invenusti habet in *t o t o pectore frigus erat;* nam qui perhorrescit, pertimescit, *toto* potius *corpore* friget. Quare si non est verius, tamen rei naturae multo accommodatius videtur, quod offert Cod. Trev. *toto corpore frigus erat.*

Verss. 149—152. Codd. *iussu*, *visu*, *visus*, *lusu*, *cursu*, sed plurimi tamen *iussu*; e quibus *visu*, *visus*, *cursu* prorsus inepta sunt. Heinsius novam l. proposuit *casu* et mutari voluit *studio n e*. Burmannus *iussus studione videndi*, contra quam recte Van Lennep: Ecquis enim hic iussisse fingatur, rem celantibus domesticis, nec ipsa matre, quid illud esset, vehementer scire cupiente. Van Lennep legendum putat *lusus* aut *lusu*, *studio n e videndi*; quorum prius *lusus studio* nescio quid invenusti habere videtur, durius etiam auribus est *lusus studio*, et minus firmitatis habet ex Libris. Neque etiam in scriptura, vel potius mutatione *studione* Van Lennepio assentior, quum nihil obstet, quominus utraeque puerum causae impellere potuerint. Hinc mihi Ovidii manus videtur *Lusu studio q u e* videndi. *Lusu* primum in duobus Codd. legitur et firmatur ll. *cursu*, *iussu*, *visu*; deinde personae, quae hic inducitur, pueri convenientius est; denique, quod maximum est, aptissimum est verbis pueri ad matrem: *Hic mihi*, *mater*, *abi etc.*, q. e. *Hunc mihi locum concede*, *ut spectare possim* (qui est sermo ludentis et nihil mali his verbis suspicantis); sic enim mihi ea verba accipienda videntur; non enim cum Van Lennepio explicaverim; *foras abi*, *ut videas*, cum ei explicationi illud *studioque videndi* repugnare videatur. Cod. Trev. a prima manu *iussus*, quo deleto altera superscripsit *lusu*, vel *visu*.

Vers. 152. Heins. e Cod. Puteaneo, quem prope ipsius Ovidiani instar habet, primus recepit *ducet*, quod licet ad sensum aliquomodo defendi possit, tamen non satis intelligo, cur potius unum Puteaneum sequamur, quam omnes reliquos Codd. et vett. Edd.; nam *ducit* praesens recte h. l. dicitur, ut de re, quae iam fit, aut statim fieri debet, et convenientius est verbo *urguet*. Cod. Trev. *ducit*. Ibidem *aureus* non de curru aurato, quod Burmanno videbatur, intelligendum puto, sed de vestibus auro ornatis; ut Epist. XIII. 57. *Venerat ut fama est*, *multo spectabilis auro*. Amor. I, 2, 42. *Ibis in auratis a u r e u s i p s e rotis*.

IN EPIST. XIII.

Verss. 83. 84. *Fortius ille potest multo sc. pugnare*, quod moneo propter Burm. Ad sententiam Epist. XVII, 253. 254. *Apta magis Veneri*, *quam sint tua corpora Marti*: *Bella gerant fortes*: *tu*, *Pari*, *semper ama*.

Vers. 89. Et h. l. Heinsius nobis formulam dicendi, quam ipse in deliciis habebat, pro vera Ovidii scriptura intrusit, nam *ut vidi, ut gemui* in nullo Cod. legitur; sed alii habent *ut vidi, gemui*; alii *et gemui*; et longe plurimi *ut vidi, ingemui*, quod, quia idoneum sensum praebet, propter vetustatis auctoritatem revocari debet. *Ut vidi, ut gemui* praeterea etiam aliquid frigidi habere videtur; sed ea de re alii aliter sentiant: certe secundum exempla, quae Heinsius huius rationis dicendi, ad eam Nostro l. vindicandam excitavit: Virg. *Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.* Art. Am. III, 730, *Ut patuit miserae iucundi nominis error: Ut meus ut rediit verus in ora color.* Theocrit. Pharmac. scribendum erat: *ut vidi, ut gemui, ut tacito.* Prorsus eadem sententiae conformatio. Epist. XVI, 133. *Ut vidi, obstupui, praecordiaque intima sensi etc.* Cod. Trev. *ut vidi, ingemui.*

IN EPIST. XIV.

Vers. 14. *Non es* etiamsi ferri possit, tamen nil nisi Heinsii inventio est. Aliquot Codd. habent *non sum*; plurimi *est*, quod rectum mihi videtur et hunc praebet sensum: *non tamen his tormentis efficiet, ut dicam poenitet; nam* (est universe dictum) *pia non est, quam poenitet esse piam.* Cod. Trev. *non est.*

Vers. 64. Heins. h. l. ex uno Puteaneo, et supra v. 4. sine ulla Cod. auctoritate scripsit *licet esse piae* pro *piam*; sed cum haec scriptura usu optimorum scriptorum probata sit (vid. Rudimann. Gramm. Lat. Vol. II. p. 15. Duk. ad Liv. 42, 36. Heind. ad Hor. Sat. I, 1, 19.), revocandum erit *piam* propter Codd. Eodem modo Heins. sine Codd. Metam. I, 662. *sed nocet esse Deo* pro vulg. *Deum*. Cod. Trev. *piam.*

Vers. 93. *In unda* veteres Edd. et Codd. omnes praeter Puteaneum et Moreti, qui habent *in umbra*, quod Heins. recepit: perperam, ut equidem existimo; nam vv. 93. 94. respicere videntur ad praecedentes 89—93.; ut v. 103. *Quae tibi causa fugae? quid Io freta longa pererras?* respicit ad 101. 102. *Per mare, per terras cognataque flumina curris, Dat mare etc.* Cod. Trev. *in unda.* Vers. 94. *factos* est *additos ad nova membra.*

Vers. 99. Quidam Codd. *possis*, quod Heins. recepit. Sed ne ad rarissimam consecutionem temporum confugiamus, ubi usitatissima in promptu est. Optima Veneta et Cod. Trev. etiam *posses*.

IN EPIST. XVI.

Vers. 23. *Faciles undas* Oudendorpius malebat, non improbante Ruhnkenio. Idem Van Lennepio placebat, quum tautologiam in vulgatis inesse putaret. Non magis tautologia in h. l. est, quam in Epist. X, 113. 114. *Vos quoque crudeles, v e n t i, nimiumque parati; F l a m i n a que in lacrimas officiosa meas.*

Vers. 35. Heinsio et Burm. suspectum videbatur *veluti*: sine causa, vid. Gierig. Index Metamorph.

Vers. 83. Schroderus, teste Van Lennep. pro vulgato *nec te*, malebat *ne te, Pari, munera tangant*, cuius sententiae Van Lennep ita adversatur, ut in *nec* hoc loco dicat vim inesse copulativam, posito, ut saepe pro *et ne*, *et non*. — Si *nec* pertineret ad *ait*, ut esset *risit nec ait*, quale est exemplum a Van Lennep. ad h. l. ex Epist. XII, 33. allatum, tum sane nihil haberet, quod offenderet; sed nunc ea loci ratio est, ut, si *nec* pro *et ne* positum accipias, partic. *et* coniungenda sit cum *ait*, *ne* autem cum *tangant*; quod haud facile videtur usu probari posse. Quare ego cum Schrodero scribendum censeo *ne*; nisi *nec* pro simplici negatione *ne* accipere malis, cuius usus exempla adhuc frustra quaesivi.

Vers. 201. *Phryx etiam* Editiones priores et Francof. et omnes fere Codd. duo vero, Bersm. et Douzae *erat*, ita Heinsius. De Codd. nescio, quod ad vett. Edd. errat Heinsius, nam in pluribus, in his in optima Veneta 1486. est *erat*: Cod. Trev. etiam *erat*, quæ lect. nescio an præferenda sit, tum quia sic elisio vitatur, tum et quidem maxime propter vim rhetoricam, quam Ovidius in deliciis habet, et ejusmodi repetitionibus saepe affectat.

Vers. 221. Ingeniosa sane est Oudendorpii coniectura *Rumpor ab invidia*: sed tamen non necessaria: saepe enim a poetis effectus et causa juxta ponuntur particula *et* conjuncta.

Vers. 233. Si usquam pron. *iste* vindicari poetae debet pro *ille*, certe hoc l. audiendus est :Cod. Trev., qui habet *ista videre.* V. 267. Praepropere, ac sine justa causa, ut mihi videtur, Heins. ex uno Vossiano *fortior* pro omnium reliquorum Codd. et Edd. l. *fortiter.*

Vers. 305. Potest scripsisse Ovid. *Speras*, ut fere pro certo accipiat Paris, eam sperare; et *speres* q. e. sperare potes. Nulla igitur aderat necessitas, quae Heins. cogeret ex uno Lovaniensi scribere *speres*, ac restituendum est *speras;* quam l. defendere etiam videtur sequens *Falleris, ignorat.* Vide supra p. 7.

Vers. 340. Septem Codd. apud Heins. *tota;* reliqui Codd. et vett. Edd. *magna. Magna* praeter majorem vetustatis auctoritatem, majorem videtur habere vim, nam *tota* etiam de parvula terra dici potest, et sequitur, quod jam ante nos Van Lennep animadvertit v. 353. *Nec minor est Asiae, quam vestrae copia terrae.* Sed in talibus aliquid pro certo ac vero statuere, nisi si sit in Codicibus, sana certe Critica nunquam audebit. Cod. Trev. *tota.*

IN EPIST. XVII.

Vers. 68. Revocandum censeo *major* pro *melior*, quam Heins. ex aliquot Codd. induxit, tam propter Codd. quam propter v. 65. Sensus est: Munera tanta epistola tua promittit, ut satis *magnam* (non *bonam*) causam praebeant, pudoris fines transeundi; sed si id vellem *Tu major culpae causa futurus eras.* Exemplum certe ab Heinsio e Trist. II. 51. allatum nihili est.

Vers. 95. *Vel potius* Puteaneus et Regius pro *vel altera*: quamvis *altera* et *vel* miram habet hic emphasin quasi occulte innuat, se invita alteram fore felicem: sic Heinsius. Sed sive *vel altera* legis sive *vel potius*, sententia claudicat; et est contra Codd. et veteres Edd.; quare revocandum erit *sed*, quo nihil sensui convenientius.

Vers. 170. Plurimi Codd. et omnes vett. Edd. habent *fuit*; nonnulli Codd. *foret*; quod Burm. omnino scribendum censuit, ac vere etiam scripsit, quia sensus sit: *et melius fuisset, me famae verba dedisse!* sed in tali sententiarum conformatione etiam perfect. usurpari solet; pertinet enim ad eam regulam gram-

maticam, de qua disserunt Rudim. Gramm. Lat. Vol. II, 779. ed. Stallb., et Zumpt. Gramm. Lat. p. 377. Quare ex longe maiore Libb. numero restituendum videtur *fuit*.

Vers. 192. Etiam hoc loco Heinsio Puteanei sui scriptura una fuit instar omnium, qui contra Codd. et Edd., quam omnes habent *fugit*, acceperit *fuit*, argutam eam dicens, quod sic opponatur *fuit voci esse*, praeteritum praesenti. Sed primum in eo graviter errat, quod *fuit voci esse* respondere existimat; cum *esse* illud nullam omnino in h. sensu vim habere videatur, quae omnis inest in voce *firmius*. *Firmius esse* est idem quod *firmius stare*, cui omnium aptissime respondet *fugit*; *fuit* autem hunc habet sensum: *cumque* nihil *firmius esse* i. e. *stare* putas, *esse desiit*, quo nihil est languidius. Respondet sic etiam versui praecedenti: nimirum *firmius esse* voci *certus* et *fugit* voci *errat*; et, quod usque repeto, flagitat eam lect. auctoritas omnium Librorum. V. 193. Cod. Trev. eleganter *Hypsipyle est testis, testis Minoia virgo*.

Vers. 226. *Ista* Burmannus interpretatur, *quam tu contemnis et barbaram dicis;* quam interpretationem recte paulo duriorem dicit ad hunc v. Van Lennep. Neque tamen assentior Van Lennep., qui ex aliquot Libb. scribi voluit *ipsa*, e qua l. vix satis aptam sententiam elicias. *Ista* h. l. est *haec* vel *isthaec*, qua vi saepissime reperitur (vid. Forcell. in Lex.); id quod etiam patet v. sequenti, in quo *Phrygiis oris* respondeat verbis *ista tellus*. Sensus autem loci est: Placet mihi nescio quomodo *ista tellus* (scilicet Lacedaemonia, patria mea, in qua pater, et frater meus est); quis enim mihi, si laedar, *Phrygiis in oris* succurrat; unde petam fratris, unde parentis opem? Pro *succurrat*, si Codd. suffragia audienda sunt, scribendum est *succurret*.

Vers. 240. Utraque forma Ovidio usitata fuit et *Ilios et Ilion*; e. c. Epist. I, 48. *Sed mihi quid prodest vestris disiecta lacertis Ilios*. Epist. XIII, 53. *Ilion, et Tenedos, Simoisque, et Xanthus, et Ide*. Metam. VI, 95. *Nec profuit Ilion illi*. Ibid. XIII, 408. *Ilion ardebat*. Non igitur necesse habebimus vocem *Ilion* in hoc versu capere pro accus. formae *Ilios*: neque etiam, quum *Ilion* duplicis sit generis et feminini et neutrius, vel potius cum feminino etiam,

ut urbs subintelligatur, construi possit, necesse erit, cum Heinsio ex uno Intimeliano contra omnes reliquos Codd. et Edd. genus femininum amplectamur. Hinc ex Libris revocandum est *Ilion arsurum*. Suspectum mihi etiam videtur *Ilion arsuram*. Ep. XVI, 49. propter vett. Editiones.

IN EPIST. XVIII.

Vers. 17. *admotis dominae* invitis Codd. cum Burmanno scribere non ausim, nam de subiecto verbi *volet* minime dubito, quod est idem, quod verbi *porriget* v. 16. *illa*. Revoco igitur *admotis etiam*.

Vers. 41. Lectio Cod. Trev. *Nam gelidus* optime sententias coniungit; sed maiorem tamen vim et vetustatis auctoritatem habet vulgata *Tam gelidus*. De *Dulce queri* v. 82. praeter Epist. XV, 152. vid. etiam Amor. III, 1,4.

Vers. 125. *Animis*, quod est in multis Codd. etiam in Trevirensi, certe multo est concinnius: *cur animis cum iuncti simus, undis secernimur.*

Vers. 157. Heinsius ex uno Puteaneo suo scripsit *Colchos et in ultima Ponti... eam* pro *Colchos atque ultima Ponti .... eam*. Sed cum etiam nomina locorum, ubi per *quo* quaestio fit, in accusativo sine praepos. poni possint et, praecipue a poetis, saepe ponantur (Ovid. Metam. III, 462. *Verba refers aures non pervenientia nostras*. Virg. Eclog. I, 66. *At nos hinc alii sitientes ibimus Afros, Pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxem etc.* Plura exempla dabit Rudim. Gramm. Lat. Vol. II, p. 284. ed. Stallb.); vulgata *atque ultima* non mutanda erat; praesertim cum in h. v. nomen loci cum nomine urbis conjunctum sit. Cod. Trev. *atque*.

Vers. 161. Lectio *mihi* etiam defenditur versu sequenti scil. verbo *trahuntur*.

Vers. 176. Non video, cur potius cum paucis Codd. scribendum sit *mea*, quam cum longe plurimis *meam*, quod etiam loci rationi convenientius sit.

Vers. 205. *Morti* Cod. Moreti Burmanno placebat, quod mollius sit ob *dices*: sed quanto mollius, quod ad sonum, tanto durius ad sensum est: *morti huic causa*, an *morti causa huic homini?* Vulgata recta est, et ex more Latino.

rum: Cic. de Fasto cap. XV. Ut Helena Trojanis, sic iste huic Reipublicae causa belli, causa pestis atque exitii fuit. V. 205. e. plurimis Codd. et omnibus vett. Edd. restituendum est *isthuc*; nam quod Heins. et Burmannus receperunt, duorum tantum Codd. auctoritatem habet, Puteanei et Francofurtensis.

Verss. 211. 212. Novi multos esse poetas in illa locutione, *Surdior mari*, vel *freto*, sed hic bis idem diceret, si vera est lectio *fluctibus; triste* enim *fretum* est idem, ac *fluctibus agitatum et tumidum*. Quare mallem hic *flatibus* legere, quibus jam sequentia optime respondent: *me pariter venti teneant*. vid. ad VII, Metam. 532. Ita Burmannus: justo, ut mihi videtur, subtilius. Poeta copiose dicere studet, nec idem est *fretum triste esse queri*, et *surdis fluctibus convicia facere*, utrumque certe novam ac propriam sententiae affert notionem. Profecto talia si urgere velimus, innumeri poetarum et in primis Ovidii, quo nullus est verbosior, loci mutandi erunt, v. c. X, 113. *Vos quoque crudeles, v e n t i, nimiumque parati; F l a m i n aque in lacrimas officiosa meas*. Ubi *venti parati* et *flamina officiosa*, ut hoc loco *surdi fluctus* et *triste mare*. Quae denique statim sequuntur *Me pariter venti teneant* non minus apta sunt ad *fluctibus*, quam ad *flatibus*.

IN EPIST. XIX.

Vers. 15. Heinsius primus e Puteaneo et Argentin. *His mihi submotae*. Equidem verum censeo *His mihi submotis*: multo enim simplicius dicitur *quae quidem animi doloris relaxationes quum a natura denegatae, vel submotae mihi puellae sint; nihil mihi superest*, quam *quibus quidem animi doloris relaxationibus quum a natura submota ego puella sim, nihil mihi superest*, quodque gravissimum est, ea est lectio omnium Codd., si duos illos excipias, et vetustissimarum Edd. Cod. Trev. *submotis*.

Vers. 23. *Saevitiae* respicit ad *odioso concita vento* v. 21, quod non satis perspexisse videtur Burmannus, quum in v. 22. pro *pene* scribendum putaret *saeva*.

Verss. 67. 68. In plurimis Codd. et Edd. est *ne careant*, in quibusdam *nec careant*, quod amplexus est Heins., Burm. et reliqui: ac verum est, quod ad

h. l. scribit Naugerius utrumque recte dici; saepe enim eaedem sententiae, quae particula *et* coniungi possunt etiam ita possunt constitui, ut posterior causam prioris continere videatur, velut si dicam *in textu mutando caute agamus, nec nostra pro Ovidianis obtrudamus*, etiam dicere possum *caute agamus, ne nostra pro Ovid. obtrudamus*. Et eadem ipsa igitur ratione hoc l. fere dici potest, *coeamus, nec careant* et *ne careant;* sed si praeter sententiam gratum quoque auribus sonum specto, atque ea res spectari maxime debet, mihi quidem Ovidius omnino scripsisse videtur *ne careant*. Cod. Trev. cum maiore parte *ne*.

Vers. 81. Non iusta de causa, ut mihi videtur, Burmannus, quem recentiores interpretes secuti sunt, ex uno Scriverii Cod. scripsit *tonantes* pro vulgato *sonantes:* non enim quaeritur, quod usque repeto, an h. l. *tonantes* dici possit, sed an ita dici omnino sit necesse. *Sonare* etiam de vehementiore sono dicitur. Ipse Horat. in altioris spiritus carmine dicit Epod. 13, 2. *Nunc mare, nunc silvae Threicio Aquilone sonant:* sic etiam *sonitus* pro *tonitru* vid. Ruhnk. Dictat. in Terent. p. 121. ed. Schopen. Scribe *sonantes*. Eodem modo Burmannus Epist. XV, 30. pro una omnium verissima l. *grandius ille sonet* scripsit *g. ille tonet*, ubi eum probe refutavit Van Lennep, qui ei, quod mirum videatur, sine idonea Librorum auctoritate in Epist. XI, 74. et nostro loco assentitur. Cod. Trev. *Sonantes*. Suspecta etiam mihi videtur ab Heinsio inducta duorum tantum Codd. scriptura *lenta*, pro reliquorum omnium et veterum Edd. *laeta*. Certe l. *laeta* ad sensum aptissima est: *Ego certe laeta* (h. e. cum voluptate) *ventos sonantes, et* (quae est quasi epexegesis verborum *laeta audirem*) *nunquam precarer aquas esse placidas*. Exempla, quae de adiect. *lentus* sic usurpato multa congessit, nostro parum sunt similia. Heusinger quoque scripsit *laeta sonantes*.

IN EPIST. XX.

Vers. 21. Languet, si quidquam aliud, *Amor te mihi a m e i p s o compositis verbis adstrinxit*. Offendit etiam propter sequentia *Dictatis a b e o*. Repudiato Puteanei *a me*, restituamus omnium fere Codd. et veterum Edd. lectionem *siquid tamen egimus arte* et planissimam habebimus sententiam. *Arte* est *artificiose* et respicit ad vers. 25. Vers. 30. Burmannus putabat sensum esse *Con-*

sulto Amore fui vafer iuris. Sed primum nobis non probavit, *vafer* sic cum genit. construi posse, cuius rei etiamnum desidero exempla; deinde mirum quid venustatis atque festivitatis h. l. habet *Amore iuris consulto* (*iuris* est *rerum sponsalium*) *vafer fui.* De *vafer* vid. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 3, 130. Sensus autem totius loci, qualem nos constituimus, talis est: Si quid tamen egimus arte (artificiose), Amor est, qui te mihi compositis verbis adstrinxit: ab Amore dictatis verbis sponsalia feci; Amore iuris consulto vafer fui.

Vers. 46. *Credas*, quod h. l. recte dici potest, Heinsii est scriptura, vid. ad Epist. III, p. 9.; nos Omnium Codd. et veterum Edd. igitur Ovidii sequamur *credis*, quam ante nos etiam secutus est J. F. Heusinger.

Vers. 48. Mira de hoc l. hariolati sunt interpretes. Francius malebat *Inque tui cupidos rapta ferere sinus*; Heinsius *Inque meo cupidi sinu. Cupido sinu*, quod uno excepto omnium Codd. est firmatur Arte amat. I, 127. 128. *Si qua repugnarat nimium, comitemque negarat; Sublatam cupido vir tulit ipse sinu.* Sed dicendum *mei*, *meo*, *tui*? *Mei* vitiosum est; *tui* recte dici potest, ut transferatur cupiditas a persona ad *sinum*, qua translatione nihil apud poetas est frequentius, eamque lectionem, si maiori, quam unius et eiusdem in hoc loco corrupti Codicis Puteanei auctoritate niteretur, certe praeferrem. Cod. Trev. *meo cupido.*

Vers. 76. Lege cum omnibus fere Codd. et vett. Edd. *meis.* Talis est loci constructio: *dum mihi liceat irata frui....; liceat me* (propter quod praecessit *mihi*) *flentem ante tuos vultus consistere, et liceat* (mihi) *lacrimis meis addere verba.* Exempla, quae Heins. ad Epistolam XVII, 252. protulit, huic minime sunt similia, et Trist. III, 3, 82. et idem suspectum est. *Suis* quidem probari possit, ita ut non, quod Heins. putabat, referatur ad *verba*; sed ad *flentem*; ut *flentem* de tertia persona dictum intelligatur. Verum, quid incerta et ambigua captemus pro certis atque simplicibus.

Vers. 172. *Ad quid littera nostra redit?* rectum est. *Littera* est *littera* illa, qua ea se ipsi pepigerat, et sensus est; *quo redit illa littera*; *quid illa*, *vel ex ea fit*; h. e. *ubi est illud promissum tuum?* vid. infra verss. 211. et 212.

Vers. 183. En iterum coniunctivi nimis cupidum Heinsium, qui scripsit *patiantur*, quum et Codd. et ratio flagitent indicativum. *Vere aliae patiuntur ferrum et ignes, ut valeant.*

Ubi in hocce libello de *omnibus* Codicibus dictum est, intelligendi ii sunt, quos Heinsius et Burmannus contulerunt.

Treviris typis Hetzrodt, Filii.

Schul-Nachrichten.

I. Lehr-Gegenstände und Lehrer, Stunden und Handbücher.

Ausser den sechs Classen eines vollständigen Gymnasiums hat unsere Anstalt noch eine Vorbereitungs-Klasse (Tyrocinium), die eigentlich als untere Abtheilung der Sexta betrachtet werden kann. Unsere Lehrverfassung ruhete von jeher auf dem Classensysteme, das, wie es scheint, immer mehrere Freunde gewinnt, weil es die harmonische allgemeine Schulbildung gründlicher befördert, so wie auch der Schuldisciplin günstiger ist. Den Grundsatz: der Gymnasial-Unterricht soll die dahin gehörenden Gegenstände so behandeln, daß der jugendliche Geist für das selbstthätige Studium gewonnen, und die wissenschaftliche Bildung, nach den drey Gymnasial-Bildungsstufen, eingeleitet, vorbereitet und begründet werde, suchten die Lehrer unserer Anstalt stets fest vor Augen zu halten. Der Lehrstoff umfaßt vorerst die Religionslehre, dann alte und neue Sprachen, eigentliche Wissenschaften, und technische Fertigkeiten. Diese Gegenstände waren in diesem Schuljahre in den verschiedenen Classen auf folgende Art vertheilt.

A) Religionslehre. (Wöchentlich 2 Stunden.)

Prima. Göttliche Offenbarung, Aechtheit und Glaubwürdigkeit der heiligen Schrift. Wunder, ihre Möglichkeit, historische und philosophische Richtigkeit und Beweiskraft. Gottheit Christi. Seine Lehre. Mittel, dieselbe rein und unverfälscht zu erhalten. Inspiration der h. Schriftsteller. Die h. Schrift ist nicht die einzige und allein hinreichende Erkenntniß-Quelle der Offenbarung. Ueber nützliches Lesen der Bibel. Erblehre. Un-